

EXEMPLA

POESIS LATINAE

MEDII AEVI

EDITA

A

MAURICIO HAUPTIO LUSATO.

VINDOBONAE.
TYPIS CAROLI GEROLDI.

A. M. DCCC. XXXIV.


BRITISH MUSEUM

FERDINANDO WOLFIO

ET

STEPHANO ENDLICHERO

GRATISSIMA MENTE

D.

M. H. L.

PRAEFATIO.

Quae a plerisque despicatui habentur carmina medii aevi latina, ea non indigna esse accuratiore et pleniore cognitione et olim fuerunt qui probe intelligerent et nuper memorabilibus admodum exemplis Isengrimi Reinardique denuo patefactum est. non deerunt qui nihilominus omnem curam his carminibus impensam futilem atque indecoram existiment, tralaticia graecae romanaeque antiquitatis admiratione ita quasi occaecati ut in plerorumque antiquorum poetarum latinorum mediocritate facile acquiescant vel delectentur adeo ea mirifice, quaecunque autem medio aevo latinis versibus scripta sunt vehementer omnia fastidiant. ac si orationis puritate versuumque concinna elegantia poematum virtus unice censetur nemo erit tam absurdus ut infitiari conetur aut nulla aut paucissima superesse medii aevi carmina quae hac ex parte cum veterum poesi aliquatenus comparari mereantur. sed ingenuum romanae orationis colorem et perfectam versuum ad antiquorum poetarum exemplar condendorum artem qui possis expectare ab ea aetate qua omnium divinarum humanarumque rerum prorsus immutata ratione lingua etiam latina a nativa indole paullatim ita deflexit ut prognata magis ex prisco sermone videri debeat quam ad eius normam severe exigi? hoc igitur dicendi genere, novicio illo quidem minimeque puro, sed omni tamen sentiendi cogitandique rationi quae tum propria erat

hominum apprime consentaneo, nonnulli illis temporibus ita utebantur ut qui antiqui sermonis ascita quadam veluti oblivione ad eorum scripta accedit neque gravitatem neque venustatem merito desiderare possit. et hymni quidem veteris ecclesiae aliaque illius aetatis sacra carmina quanta et sublimitate et dulcedine excellant dudum inter omnes constat, optime autem intellexit summus seculi nostri poeta, qui cum in Fausto suo paucos quosdam versus de praestantissimo huius generis carmine depromptos suis versibus divina arte interponit mira plane vi lectorum animos percellit; quae plerique minus norunt epica carmina medio aevo latine scripta nec ipsa destituta sunt poetica virtute et quanti vis pretii aestimari digna si ex vulgi narrationibus carminibusque eorum hausta est materies ut vel ignotas fabulas inde cognoscamus vel earum quae aliunde notae sunt series quasi et complexus plenior atque integrior fiat.

Eius rei luculentum extaret exemplum si integrum superesset illud carmen cuius parvam particulam hic evulgamus Ruotliep nomine a nobis inscriptam quem ad modum ipsa rei ratio flagitare videbatur. qui hoc fragmentum mecum ut ederem benevole communicavit Henricus Hoffmannus fallerslebensis, vir clarissimus, cuius consuetudine commoratio mea vindobonensis magnopere exhilaratur, descripserat illud solita diligentia ex duobus foliis membranaceis quadratis seculi undecimi quae possidet reverendus pater Iodocus Stülzius, canonicus regularis ad s. Florianum. huius apographi fidem dum sequimur membranasque accurate reddimus iusta tamen interpunctione lectorum commodo consulendum censuimus. in quo negotio non mediocriter adiutus sum eiusdem Hoffmanni sollertia quae in plerisque omnibus me praevertit. ulterius progredi non

licuit inter varias occupationes et sine idoneo quique in promptu esset quovis tempore librorum apparatu horum carminum editionem propterea festinanti ut Endlichero et Wolfio, viris praestantissimis, quorum sicuti insignem eruditionem indies magis miror ita comitatem et benevolentiam quotidie laetus experior, Vindobona discedens tenue licet ac rude, at aliquod tamen grati animi documentum relinquerem. itaque nec lacunis quibus alterius folii pagina posterior mutilata margine deformis est mea coniectura explendis operam dedi nec de fabula quam poeta versibus scripsit deque carminis praestantia multus esse volui. atque complementorum quidem magnam nec nisi diuturna cogitatione superandam difficultatem eo magis devitandam putavi quo minus in hac tam aequabili dimidiorum versuum iactura certi aliquid me assecuturum esse confidebam; carminis autem ab ieiuna irreparabilis veterum poetarum consuetudinis affectatione liberrimi teneram venustatem lectores ipsi persentiscent; de fabula denique quam nemo praeterea tradidit quid possum dicere aliud quam quod ipsa haec quam edo carminis particula omnibus subministrat? continet autem hoc fragmentum pauca admodum quae cum summa carminis cohaereant, plura, opinor, suppeditaturum nisi inter primam et alteram fragmenti partem viginti quinque capita intercidissent, in quibus mater filium post decem annorum absentiam reducem agnovisse mutuaeque narrationes locum habuisse videntur. sed fabulae aliquam saltem lucem affulsuram spero cum editum erit fragmentum huius carminis monacense. de quo fragmento nihil compertum habeo nisi quod Bernardus Iosephus Docenus, vir praestantissimus, assiduus ille et sollers in scrutando et proinde in reperiendo felicissimus, sed evulgandi ea quae indagaverat

nimium parcus, in miscellaneorum suorum vol. 1. p. 69. significavit, invenisse se particulam carminis epici versibus latinis leoninis scripti, in qua particula Ruotliep et Immunc nomina illiusque viri pugnam cum nano commemorari. ubi nactus fuero exemplar fragmenti monacensis, quod non despero fore ut nanciscar cum et Schmelleri, bibliothecae monacensis custodis clarissimi, miram humanitatem expertus norim et huius alterius fragmenti editione quasi rem derelictam occupasse mihi videar, ad hoc carmen omni cura satis dignum redeundum erit.

Nunc unum tantum addo non alienum fortasse ab hoc loco. etenim Vilkinensium historia, cap. XL., narrat Alfricum, furem famosissimum, ensem illum nobilem qui Eckisax (Eckesahs) appellabatur, et fecisse et deinde suffuratum esse patri suo et dedisse regi cuidam Roseleif; eum hunc ensem diligenter servasse donec pervenerit ad filium eius Rozeleif qui illo ense multos viros interfecerit. [*Enn thad sverd var stolid oc leynt leingi, enn thad gerdi Alfrikur dvergur hinn mikli stelare. hann kom i thad berg er fadir hans atti leynelega, oc stal hann thvi fra fedur sinom, oc gaf hann fidann kongi Roseleif, thar var thad vel vardveitt, thar til er hinn ungi Rozeleif bar thad, oc thar med drap hann margann mann*]. ad duplicem exemplaris perinskjoldiani scripturam *Roseleif* et *Rozeleif* tertia accedit codicis arnamagnaeani CLXXIIX, de quo v. Rafnii interpretatio danica (*nordiske kaemper-historier* t. 2. p. 650). ibi hoc nomen scribitur *Rutsileif*. haec diversitas nihil mirum habet si peregrinum esse hoc nomen existimamus, hoc est theotiscum, quod ipsa Vilkinensium historiae origo et ratio suadet. itaque non inepte quis suspicetur genuinam germanici nominis formam nullam

fuisse aliam quam *Ruotliep*. Nam *liep* et *leif* (quod theotisce dicitur *leip)* terminationum, etsi e radicibus natae sunt plane diversis, tamen non tanta est disparilitas ut magni sit momenti, praesertim cum compositorum ex duobus vocabulis nominum posterior pars minus grave pondus habere soleat ipsumque illud quo multa nomina terminantur *liep* cum altero *leip* saepius commutetur et fortasse inde degeneraverit, quae Iac. Grimmi est sententia (gr. t. 2. p. 70.), quamquam respicit ille multo posterius tempus quam quo carmen nostrum scriptum esse potest. ex priore vocabulo *ruot* vel ut antiquiore tempore scribitur *hruot*, quod vocabulum gloriam sive laudem significat, multa formantur nomina, quorum complura recenset grammatica (vol. 2. p. 354.). ut non *Hródhleif*, sicuti linguae leges postulabant, sed *Roseleif*, *Rozeleif*, *Rutsileif* in historia Vilkinensium scriptum sit factum videtur propterea quod ex theotisca lingua hoc nomen acceptum nec intellectum erat. fortasse igitur qui mirificum illum ensem possedisse dicitur *Rutsileif* nemo erat alius quam *Ruotliep* nostri carminis. qui cum decem annos exul esset multos eo tempore praestantissimo ense interficere potuit. atque cum nano pugnasse narratur in fragmento monacensi, quod autem nostri fragmenti versu LXXI., non integro illo quidem, comes dici videtur, non rex, non magnam habet difficultatem. nam multiplici fabulae dum propagantur vicissitudini obnoxiae sunt, ut hac quidem ex parte nihil fortasse obstet quominus latinum carmen eidem aut consimili carmini originem debere existimemus quale Guil. Grimmius in praeclaro libro quem de fabula Germanorum heroica scripsit (p. 181) in Vilkinensium historia obscure significari animadvertit. sed si quis dicat hoc esse hariolari, nescio sane quo modo

me defendam, immo absurdus plane essem si pro tam tenui opinatione pervicacius pugnare auderem.

Alterum quod primus edo carmen, multo quidem inferius priore, sed non illepidum tamen, Matthaei vindocinensis est, de quo poeta praeter Leyserum (hist. poet. et poem. m. aevi p. 765.) et Fabricium (bibl. med. lat. t. 5. p. 54. seq. ed. patav.) scriptores historiae litterarum Galliae (t. 15. p. 420. seqq.) egerunt, ne hi quidem satis accurate et plene, cum eos latuerint plura huius poetae carmina. sed de his alio tempore dicetur, Milonem profero e duobus libris vindobonensibus. eorum primum, numero CCCIII., membranaceum sec. XIV., foliorum formae quam octavam dicimus 166., possidet bibliotheca augusta dono Endlicheri qui eum ante aliquot annos Posonii invenerat. complet Milo folia quattuor inde a quinquagesimo quinto. alter codex, numero CCCXII. (olim inter salisburgenses 8. o.), foliorum membranaceorum formae octavae 112., eodem quo ille seculo scriptus, Milonem continet foliis a vigesimo septimo quinque. ex hoc altero codice, qui quae habet explicationum additamenta ea inutilia sunt, et versum addidimus in priore codice (quem *A* appello cum salisburgensis mihi *B* sit) omissum et quosdam alios versiculos emendavimus. in qua re caute versandum erat propter interpolationes quibus hunc librum depravatum esse periti facile intelligent. ut vero nonnunquam in eo inveniatur quod placere possit etsi non videatur esse verum, aliis tamen in locis verissimis prioris libri scripturis ineptias substituit. ita cum versu 113. Milonis mens fluctuare dicatur *ignara portus* interpolator, ut productum non praeter morem Matthaei *ignara* vocabuli ultimum *a* removeret, genetivum casum *portus* in *portu* ablativum mutavit dumque metrum corrigit

sententiae rationem prorsus pervertit. Quae hic codex salisburgensis post versum 68. addit duo disticha, ea quam intempestive atque absurde sint interposita nemo non videt. itaque priorem librum ubicunque fieri potuit secutus sum, ab utroque autem libro rarissime discessi. praeter hos codices Floribus poetarum usus sum, quorum bibliotheca vindobonensis possidet exemplar formae quadratae '*inpressum delff anno dñi M. CCCC. LXXXVIJ.*' in his Floribus, quorum hanc editionem non commemorat Iac. Grimmius Reinh. p. LVIII., apposito Matthaei nomine duo Milonis loci afferuntur. ac primum quidem l. 1. cap. 36. haec verba posita sunt (versu editionis nostrae 91. seq.)

rebusque sinistris
Plenius anxietas ingeniosa sapit.

nam quod praecedit *Ingenii dolor auget opes* utrum aliunde petitum sit an diversam a codicum vindobonensium scriptura lectionem contineat indagare non potui. deinde eiusdem libri capite 37. versus 97. et 98. afferuntur, ut eo loco significavimus. addendum censui hoc Florum exemplar l. 2. cap. 20. in versu Isengrimi 79. non *maiora* habere, sed *peiora* plane ut codicem berolinensem.

Quod tertio loco posuimus carmen satis antiquum est, depromptum quippe ex cod. vind. CXVI. (olim salisb. 5.) qui liber, in membranis formae maioris seculo decimoscriptus, ultima pagina (157[b]) hoc carmen continet nulla inscriptione insignitum, sed signis musicis intra versus ascriptis. haec signa omisimus, addidimus autem interpunctionem versusque qui in codice perpetuo tenore continuantur divisimus. leve quidem neque ullius usus videri potest hoc carmem, sed qui plura parilis aetatis similia poemata evulgaret bene

mereretur de historia antiquissimae populi nostri poesis lyricae.

Denique animi causa subiunximus elegiacum carmen quod epistolam litterarum studiosi parisiensis nominavimus, desumptum ex cod. vind. CCXLVI (olim U. 517.). Fol. 68ᵇ. exaratum ibi est hoc carmen seculo XIII.

Scrib. Vindobonae pridie kal. iul. a. M. DCCC. XXXIV.

RUOTLIEP.

[1a] Tunc sibimet comedunt .... et pullis tribuerunt.
Cum per aperturas in domate quis sibi micas
Prebet, mox illo concurrebant adhiando,
Captantes auide quidquit contingere cuique.
Sic consuefacte sunt post modicum cito cuncte.
Quin post ostiolum, sibi cum fieret patefactum,
In manibus resident, quod eis datum accipiebant,
Dumque sunt sature, leniendo manuque polite
Doma sua sponte certatim mox subierunt
Et componendo rostris pennas, residendo,
Sic gaudendo, diem quod non siluere per omnem,
Oblectamentum fit herili deliciosum,
Cum nimis insuaue senibus sit tale quid omne.
Pabula nulligena uel aqua stant in domicella xxxvi
Sturnorum, sed eos duxere fame domitandos,
Vt per aperturas poscant escas sibi dandas.
Quod primo ueteres nimium renuere parentes:
Cum pullis non dant, has illi deseruerunt,
Qui digitum prebent, his illi mox adhiabant.
Eligitur sciola super hos doctura magistra xxxvii
Nostratim fari 'Pater' et 'noster' recitare
Usque 'qui es in celis', lis lis lis triplicatis.
Staza soror 'canite! canite!' doceat geminare.
Quod pulli discunt veteres quam discere possent!

---

14. aqua stant] *supra ascriptum* limpha stat.

Interea miles, consanguineus simul eius, XXXVIII
Cum domina vadunt harpatores ubi ludunt.
Miles, ut audiuit male quam rithmum modulauit
Inter eos summus illius artis alumnus,
Ad dominam dixit, ibi si plus harpa fuisset.
'Est', ait, 'hic harpa, melior qua non erit ulla, XXXVIIII
In qua, dum uixit, meus heros simphoniauit,
Cuius clangore mea mens languescit amore,
Quam nemo tetigit is postquam uiuere finit,
In qua, si uultis, rithmos modulare valetis.'
Quam iubet afferri sibi, quam citat is moderari
[1b] . . . . digitis geminis modo dextra
Tangendo chordas dulces reddit nimis odas,
Multum distincte faciens uariamina queque,
Quod pede saltandi, manibus neumas uel agendi
Nescius omnino citus hec perdisceret ambo.
Qui prius audacter chordas pulsant ioculanter,
Auscultant illi taciti, modulare nec ausi,
Sic tribus insolitis actis dulcissime rithmis
Quartum poscit hera faceret, petit et sua nata, XL
Eius contribulis quem saltaret, uel herilis
Quem, per sistema siue diastema dando responsa.
Dum mirabiliter operareturue decenter,
Surrexit iuuenis, quo contra surgit herilis.
Ille uelut falcho se girat et hec ut hirundo;
Ast ubi conueniunt, citius se preteriebant;
Is se mouisse, sed cernitur illa natasse,
Neutrum, saltasse, neumas manibus variasse;
Nemo corrigere quo posset, si voluisset.
Tunc signum dederant, ibi multi quod doluerunt,

---

42. taciti] tanti [ci] *membrana*. 52. *litteris inclinatis scripsi quae in codice non leguntur.*

Deponendo manus, finitus sit quia rithmus.
Insimul et resident et in alterutrum nimis ardent,
Lege maritali cupientes consociari,
Illius id matre fieri nimium cupiente,
Atque facultante, quod uellent sermocinare.
Hunc dominella rogat, quo secum tessere ludat, XLI
Annulus ut uicti donetur ter superanti.
Tunc is, 'qui ludum, quem ludamus modo, primum
Acquirat', dixit, 'digitalis uterque suus sit.'
Hec ea laudauit, ludens et eum superauit,
Gratis perdente iuuene, gratis sibi dante.
Que, nimium leta se sic habuisse trophea, XLII
Ludendo proprium cito perdebat digitalem.
Quem trahit a digito, iaciebat eique rotando.
In cuius medio nodus fuerat cauus intro;
Hunc nisi laxaret, digito non inposuisset.

* * * * * * * * *

[2a] Sic pedat ad mensam comes . . . .
Non tamen in solio uoluit residere supremo,
Sed subiectiue matris dextrim uelut hospes,
Atque libens totum sibi permisit dominatum.
Hec quod ei dederat reuerenter suscipiebat.
Incidens panem turbam partitur in omnem,
Transmisit cuiuis discum specialibus escis,
Cum uino pateram, mittens aliquando medonem.
Rŏtlieb contribulis conuiua fuit socialis.
Ex uno pane comedunt, uno quoque lance,
Ex uno cyato biberant communiter ambo.

---

64. ludens] ludans *membrana*.

Matri conuiua solet esse monedula sola,
Cui pilulam mice cum dat, capit illa superbe,
Perspacians mensam transuersim transilit omnem.
Fercula post multa, post pocula totque secuta
Tunc hera poscit aquam; camerarius attulit ill*am*.
Ad mensas quasque summo iubet hanc dare cui*que*:
Post hinc pincerne passim potum tribuere.
Mensis amotis, mensalibus atque plicatis,
Leti consurgunt, domine gratesque dederunt;
Dicunt gaudere Rŏtlieb sanum rediisse,
Quo consoletur matrem, ne plus tribuletur,
Primitus vt sepe, dolet illo cum caruisse.
Est diuulgatum cito per totam regionem, LXVIII
Rŏtlieb uenisse, locupletatum sat abunde.
Dum sibi post placuit, dum secretumque sibi fit
Intrat conclaue cum dilecta sibi matre,
Scutiferumque iubet, Enthecam quo sibi ferret.
De qua multiplices extraxit opes preciosas
In chrusinis, in pelliciis, census et alius,
Exul que denis nanciscebatur in an*nis*.
Post poscit peras. quas scutifer attulit amb*as*. LXVIIII

---

82. monedula *vocabulo supra ascriptum theotiscum* taha. *saepius hoc vocabulum invenitur, in quibusdam dialectis, ut in austriaca et bavarica, ne nunc quidem obsoletum, v. Hoffm. fundgr. p.* 393a. sumerl. 5, 22. 47, 32. *hinc vereor ne* tha, *quod legitur in glossis trevirensibus (Hoffm. gloss.* 4, 37*), satis sese tueatur contra suspicionem ab Iac. Grimmio, viro incomparabili, prolatam gramm. vol.* 3. *p.* 362, *praesertim cum monacensis codex pleniorem formam suppeditet* tâha, *vindobonensis* tâhe, *v. Graff. Diut.* 3, 241. *illud addo, accentuum in his duobus codicibus nullam esse auctoritatem.*

Extrahat ut panes iubet hunc, factos aput afr*os*.
Quos dum produxit, matri ioculanter is inquit:
'Hos deseruiui, tenus hac, mater, ubi mansi
[2b] . . . . . . sapidi uideant panes africani.
. . . . . . puto quo soli uideamus.'
. . . . . . rum quo panem disse*cat* unum.
. . . . . . entum lancis sub quo fuit aurum.
. . . . . . sit iubar argentique reluxit.
. . . . . . ictos cernens tria per loca lances.
. . . . . . lima cito clauorum capitella.
. . . . . . lances uidet aureolos ibi nummos.
. . . . . . iunctos quod suppingi nequit unvs.
. . . . . . at domino grates et agebat.
. . . . . . sparilem manibus sustollere lancem.
. . . . . . ollen clauos limando minutim.
. . . . . . am uario censuque repletam.
. . . . . . stupuit nimium sua mater ouauit.
. . . . . . dens in mente sat ast hylarescens.
. . . . . . oculis grates christo dat in altis.
. . . . . . um dederat sibi tamque beatum.
. . . . . . se terram premit oreque sepe.
. . . . . . regis pedibus domini daret eius.
. . . . . . rans faciem lacrimandoque tingens.
. . . . . . ine num par tibi quis ualet esse.
. . . . . . illum miserum dignaris homullum.
. . . . . . aere uel honoribus amplificare.
. . . . . . reminiscere quod patereris.
. . . . . . ome quo non moriar precor ante.
. . . . . . ideam quem pauper egensque petebam.
. . . . . . nte te clementer suscipiens me.

---

103. Extrah[a]it *membrana*.

. . . . . . um consortem deliciarum.
. . . . . . enos secum retinendo per annos.
. . . . . . t me queo quod posthac sat honeste
. . . . . . ndenter hec si tracto sapienter. LXXI
. . . . . . atre dum sat gaudent super hac re.
. . . . . . dunt cautissime quam ualuerunt.
. . . . . . sus secum fert quitquid alius.
. . . . . . plures proprii serui iuniores. LXXII

MATTHAEI VINDOCINENSIS MILO.

**Hamus amoris edax et rete capacius orbe
Omnia cum capiant insatianter hiant.
Haec mihi materia est: vigilanter adesto Thalia,
Tanquam de notis eliciendo nova.
De Milone cano constantinopolitano,
Carmine romano ludicra graeca cano.
Qua decor est, hospes pudor exulat. inde decoris
Vix maturescit virginitatis honor.
Afram forma decens beat. huic natura decori
Artifices studuit adhibuisse manus.
Est natu tenuis et re: sed gratia formae
Ampliat et reficit quod minus esse videt.
Pauperiem species redimit tenuisque facultas
Formae pensatur uberiore bono.
Non opera nutricis egens coma percipit auram;
Arbitrio fungi liberiore suum:
Supplicat in facie patientia blanda puellae,
Verba vocativae pagina frontis habet:
Blanda supercilii nota vicinatur ocellis,
Consulto spatio nec fugiente modum:
Non hospes colit ora color; ne purpura vultus**

De Mylone Constantynopolitano. *A*, Comedia milonis. *B.* 3. est *om B.* 7. Quo *B.* 9. decoris *A.* 10. apposuisse *B.* 12. videt] potest *B.* 15. cultricis *fortasse scribendum.* precipit aurum *B.* 19. Nota supercilii nota vicinatur *B.* 21. nec *A.*

Languescat niveo disputat ore rubor:
Nec depressa nec est surgendi prodiga naris.
Et medium recolens vitat utrumque malum:
Praeradiant oculi: modico surgentia risu
Purpurat assiduus grata labella rubor:
Colla nivi certant, ebori certando polito
Legitima dentes in statione sedent:
Ne legem tumor excedat ratione tumoris
Praecastigati parva mamilla sedet:
Excessu statura carens, mediumque reservans
Nec nimis ascendit nec sine lege iacet:
Quis favor, immo favus lateat, quae gaudia, quantae
Deliciae, vultus esse propheta potest:
Argumentosae faciei signa beatus
Qui videt, immo cui tangere visa licet:
Cetera cui tractare, fovere, tenere licebit
Cum fortunatis se numerare potest.
Miratur Natura decus pretiumque laboris,
Et praelarga datis rebus egere timet.
Dum perpendiculo percurrit singula dici
Prodiga formidat increpitatque manum.
Afrae Milo datur coniunx: cui parva facultas
Sed censu tenui militat ampla fides:
Paupertas non frangit eum, non mergit honorem
Vultus iratae prosperitatis hiems:
Ad decus, ad speculum sponsae dulcescit egestas;
Anxietas viso coniugis ore sapit.
Militat ad victum Milo mercesque diurnas

27. certantque *B.* 30. Precasti casti *B.* 32. minus — iacent *A.* 37. qui *A.* tenere fouere *B.* 38. Fortune tantis omnibus altior est. *B.* 40. timet] potest *B.* 43. coniunx] sponsus *B.* 44. tenui censu *B.* 48. sapit] placet *B.*

Exponens modicas sedulus auget opes,
Afra decens regem tangit, radioque decoris
Condescendit amor imperialis ei.
Ad Venerem regis marcescit gloria, servit
Imperium, sordet regia, sceptra iacent;
Rex humilem coitum poscit Veneremque remissam,
Affectat tenuem regia cura thorum;
Rex prece, rex pretio movet Afram, supplicat, immo
Imperat, immo preces principis arma movent.
Divitis ad tenues est arma petitio, cuius
Ultio depulsae destinat esse comes.
Ad pretium fragilis natura tepescit, inermis
Sexus ad armatas dat sua terga preces.
Afra favet, Milo nescit. Milone remoto
Rex coitus humilis sustinet esse comes.
Uti rex humili laetatur crimine, mutat
Stramine pulvinar hospitioque domum.
Absens Milo facit ad votum regis, amicat
Sponsa sibi moechum, sponsus adauget opes.
Sponsus abest, sponsa regi consentit amorem,
Ac sponsae sponsi gratia victa iacet.
Sponsus arat, moecho blanditur sponsa; frequentat
Sponsus agros, sponsus praedia, sponsa ducem.

---

51. radiosque *B.* 59. Principis ad tenuem est armata *B.* 60. depulsi *B.* esse] ense *A.* 64. humilis coitus *B.* 65. vti letatur humili rex crimine *B.*

Post versum 68 *addita sunt in B haec duo disticha:*

Milo domi non est, peregre Milone profecto
Arva vacant, uxor non minus inde parit.
Cum sit ager sterilis cur uxor fertilis edam?
Quo fodiatur ager non habet, uxor habet.

70. Ad *AB.*

Et tamen errorem titulus regalis obumbrat,
Et redimit nocuum nobilis auctor opus.
Crimina festiva, deceptio pulchra, reatus
Felix, peccatum nobile, culpa nitens.
Peccatoris honor pro crimine disputat, actus
Palliat iniustos dissimulatque malum.
Naturae fragili tenuis scintillula causae
Sufficit ad culpae prodigialis opus.
Afra suis causam votis accommodat, immo
Non causam ut causam ponit iniquus amor.
Regis deliciae, maiestas, purpura causam
Praetendunt sceleri subsidiumque malo.
Alludit sceleri regalis pondus honoris,
Egregii phalerat nominis umbra malum.
Afra iugum tolerare viri fastidit, amore
Principis insurgit imperiosa viro.
Iam gravius solito votis obtemperat. unde
Milonem gravior sollicitudo quatit.
Sollicitat dolor ingenium rebusque sinistris
Plenius anxietas ingeniosa sapit.
Milo iura thori sentit languescere, sentit
Iacturam fidei, federa fracta notat.
Obstupet unde tenor fidei deflectat habenas,
Algeat unde fides, unde tepescat amor.
Coniectat mala quaeque metus, metuenda prophetat
Et dubiis rebus deteriora canit.
Coniectura metus mala, peior, pessima frangit;
Spes bona, spes melior, optima spes reficit.
Spes fouet, affligit timor; haec favet, ille minatur;

---

73. tamen] tegit *B.* 75. festinat *A.* 84. Pretendit sceleris *A.* Pretendunt celeri *B.* 89. Et sponsi grauius uotis *B.* 96. Alegeat *A.* 97. timor *flores poetarum.* metuenda *B et flores poetarum*, metuendo *A.*

Haec struit, hic perimit; haec iuvat, ille nocet.
Dum speciem recolit Afrae fideique tenorem
Milo, pedem referunt gaudia, maeror abit.
Pro domina radius speciei disputat, Afrae
Causam sustentat, iura tacentis agit.
Si formosa nocet, peccantis forma perorat,
Crimen commendat et veniale facit.
Ad sponsae speculum perit indignatio sponsi,
Mentiturque metus et sua causa iacet.
Milo destruitur dum bellum mente volutant
Per successivas spesque metusque vices.
Fluctuat ignara portus variumque figurat
Protea mens varios accipiendo status.
Pectoris arcano vigilat discretio, casus
Ponderat ancipites ad rationis opus.
Ex perpendiculo rationis colligit iras
Castigare graves, dissimulare metus.
Suspectum videt Afra virum, nec segnius ardet,
Sed vetitum gaudet amplificare scelus.
In thalamis gaudet regem refovere, laborat
Furtis furta, malis accumulare malum.
Cum rex continuat lateri latus, illud in illo,
Improvisus adest Milo foresque quatit.
Qui risu, qui pace, ioco, qui murmure gaudet
Qui sua continuat castra, stupescit Amor.
Regis delicias, et regem, regis amorem
Audax praesumit sollicitare Timor.
Imperfecta metu rumpuntur basia; ludum,
Qui solet esse comes, non habuisse dolent.

107. Sic formosa iuuat *B.* 112. timorque *B.* 113. portu *B.* 116. anticipes *A.* 118. Castigatque — dissimulatque *B.* 120. Et *B.* scelus] studet *A.* 122. mala *B.* 128. metus *B.* 129. Semiplena *B.*

Ad vocem sponsi trepidat rea sponsa, ruborem
  Legat in exilium vultus, in ore timor.
Heu pudor accusat regem; dat terga pudori,
  Non poenae, nec eum vis fugat, immo pudor.
Conditione praeit rex, causa deficit aequa;
  Milo praeit causa, conditione minor.
Culpa potestatem premit, oblitoque rigore
  Vultum demittit imperialis apex.
Sceptra verecundant vitio, devicta potestas
  Crimine se clipeo pauperiore tegit.
Rex abit, oblitus solearum; quippe pudore
  Immemor est ratio pauperiusque sapit.
Insidias sentit exclusus Milo, fatetur
  Ianua surda dolos proloquiturque malum.
Claustra patent; intrat Milo causaeque vigori
  Confidens nudo nunciat ense minas.
Fulgurat, obiurgat, rivalem quaerit, et iram
  Coniurat facies asperiore statu.
Regales soleas reperit, quae stupra fatentur
  Indumenta notam regia regis habent.
Praedicat ornatus dominum, possessio dives
  Est possessoris expositiva sui.
Se vitium magno defendit teste, reatus
  Firmior auctoris nobilitate viget.
A sponsa revocat sponsus sua gaudia; sponsam
  Solus habere nequit et comes esse negat;
Rivalem fieri rivalis se negat; horret

---

132. multus — pudor *B*. 134. *hic versiculus desideratur in A*. 135. Condicioni *AB*. perit *A*. 136. perit *A*. 139. verecundant] reconduntur *B*. 141. pudoris *B*. 142. pauperibusque *B*. 152. sua *B*. 153. Seuitiam *A*. 156. et negat esse comes *B*.

Sumere relliquias qui prior esse solet.
Afra nec solito coitu nec munere vocis
Dignatur; gravius Afra repulsa dolet.
Plebeio sordere dolet quam regis amicat
Cura sibi, regis gloria, regis honor.
Asperat in sponsum fratres soror impia, Milo
Rivalis trahitur iudicis ante thronum.
Non timet innocuus Milo; non mutat honestas,
Immo tumet iuris freta favore fides.
Vox fraterna prior loquitur tacitoque figurat
Mysterio regis turpe sedentis opus.
Ad causae fomenta suae sibi regis amicant
Aures, consilium iudiciale petunt.
Fratrum simplicitas, vero prostrata favore,
De Milone parat sub brevitate queri.
'Vinea Miloni spe fructus tradita crebras
Pullulat in sentes et fruticosa iacet.
Cedit in oppositum spes fructus, vinea languet
Cultorisque sui sentit abesse manus.
Vinea prolis eget crinitaque brachia caelo
Debens serpit humo pauperiore coma
Spretaque conquiritur viduam torpere iuventam
Et vitae sterilis tristia dampna pati.
Non parit heredem fructum ramosve nepotes,
Nec matris redimit postuma virga necem.
Cultoris vacat aegra manus qui vimina nulla
Falce metit, nullo vomere tangit humum.

---

159. nec] non *B.* 163. soror] sciet *B, erasa* s *littera, cum annotatione:* ciet. i. conducit. 164. thronum] statum *B.* 165. mutatur *B*, *malim* nutat. 166. timet — spreta *A.* 167. fratrum prior exit *B.* 171. fauori *B.* 176. Cultorique suo *B.* 178. humi *B.* 179. Languida *B.* 180. sterilis uite *B.*

Mendicat cultoris inops, languore redundans,
Culturaeque rogat effugientis opem.
Hinc furit urtica mordax, hinc exigit ungues,
Armataque rudis asperitate perit.
Ergo pro dampno dampnum, pro crimine poenam
Solvat Milonis desidiosa manus,
Qui pepigit nobis fructum patiturque soluto
Articulo iuris deperiisse fidem.’
Sic fratres. Milo surgit linguaeque potentis
In responsivas iactitat arma vices.
‘Iuris ad articulum ritus regalis anhelet,
Quo duce, quo ratio praeside tuta sedet.
Regia mens verum discernat, commodet aures
Veris et brevibus gratia vestra sonis.
Floruit et viguit mihi tradita vinea, dives
Fructu, praesignis palmite, fronde virens.
Me duce florigera caelum cervice salutans
Vultu respexit lucidiore Iovem.
Edomui, colui, fovi, vigil, impiger, astans,
Vimen, humum, fructum, falce, ligone, manu.
Floruit, emicuit, viguit, stirps, virgula, tellus,
Palmite, vite, mero, plena, superba, potens.
Fractus, hebes, tristis lego, sentio, gusto myricas,
Litigium, taxos, melle, favore, favis.
Sedulus, immeritus, insons, meto, perfero, sumo
Crimina, dampna, malum, laude, labore, bono.
Rennuo, nolo, nego dare, credere, mittere saxis,
Naufragio, scopulis, semina, vela, ratem.

188. perit] uiget *B*. 189. domino *A*. 193. surgit Milo *B*. 194. responsiuis *B*. 195. Iurat — legalis *B*. 196. sedet vel viget *A* uiget *B*. 197. Ueſtra fides *B*. 203. impigit *A*. 204. fructum] frondes *B*. 207. Factus *AB*. 208. mcsse *AB*.

Ne lateat vos causa mali, cur vinea languet
Destino succincta sub brevitate loqui.
Dum vaco culturae vestigia saeva leonis
Cultoris timidas increpuere manus.
Castigat mea coepta metus, castigo laborem
Ne vitae videar prodigus esse meae.
Cui noceo si sum mihi prodigus? immo nocentem
Se probat, innocuo qui studet esse nocens.'
Aure scelus patula rex colligit, immo stupescit
Fictile vas potum fundere nectareum.
Nil metuit de se qui iudicat, immo reatus
Auctoris titulo pro ratione sedet.
Regum iustitiae praeiudicat ausa potestas,
Ius premit, et gladius iudicialis hebet.
Quis leo, quis cultor et quae sit vinea sentit
Fossoris solitus rex adhibere vices.
In commune suum tractari crimen et anceps
Quod tegat et phaleret allegoria videt.
Lucescit caligo rei, quod obumbrat amictus
Mysterii sensu mens famulante capit.
Turpe ducem causatur opus, culpaeque propheta
Coniecturalis arguit ora rubor.
Exit in hanc vocem regis discretio, quamvis
Multus in ore pudor pauperat oris opes:
'Cultor abi tutus, vites cole, nulla leonis
Amplius invenies signa, repelle metum.
Coepto summa tuo respondeat, ira tepescat,
Prisca reformetur gratia, prisca fides.
Pullulet in ramos vitis, fructumque propinet

---

225. Legum *B.* 226. habet *A.* 229. tractaret — at *A.* 232. capit *B in rasura,* capud *A.* 233. ducem] reum *B.* 238. inspicies *B.*

Vinea cultori conciliata suo.'
Audit Milo, duci credit, causamque doloris
Castigans revocat gaudia, laetus abit.
Libertas animi, culpae sua iura remittens,
Non odio nocuum vindice pensat opus.
Plausus ab exilio remeat, respirat amoris
Integritas, mentis unio, fida fides.
Ira tepescit, amor exuberat, Afra marito
Grata prius, sponso gratior esse potest.
Sic dum mentis eos confoederat unio gaudent
Vitae curriculo prosperiore frui.
Non phalero falsum. Constantinopolis huius
Se spectatricem iactitat esse rei.
Non levis aubitrium linguae, non livor obumbret
Debile Matthaei vindocinensis opus.

---

243. Ludit *B*. 247. suspirat *B*. 250. sponso] post hoc *B*, *fortasse vere*. 251. gaudent *om A*. 252. prosperitate *B*. *Ultimos quattuor versus omittit A hoc quidem loco. praeponit eos fol.* 151a. *carmini* 'de Milone' *ut per errorem inscripta est quae in B, fol.* 21b., *rectius appellatur* 'Comedia de glorioso milite.'

INVITATIO AMICAE.

Iam dulcis amica uenito,
Quam sicut cor meum diligo;
Intra in cubiculum meum
Ornamentis cunctis onustum.
Ibi sunt sedilia strata
Et domus uelis ornata,
Floresque in domo sparguntur
Herbeque fraglantes miscentur;
Est ibi mensa apposita,
Uniuersis cibis onusta;
Ibi clarum uinum habundat
Et quicquid te cara delectat;
Ibi sonant dulces symphonie,
Inflantur et altius tybie;
Ibi puer doctus et puella
Pangunt tibi carmina bella;
Hic cum plectro cytharam tangit,
Illa melos cum lyra pangit;
Portantque ministri pateras
Pinguitatis poculis plenas.
Non me iuuat tantum conuiuium
Quantum post dulce colloquium,
Nec rerum tantarum ubertas
Ut dilecta familiaritas.
Iam nunc ueni soror electa
Et pre cunctis mihi dilecta,

Lux meae clara pupille
Parsque maior animae meae.
Ego fui sola in silua
Et dilexi loca secreta,
Frequenter effugi tumultum
Et uitaui populum multum.
Karissima noli tardare,
Studeamus nos nunc amare.
Sine te non potero uiuere,
Iam decet amorem perficere.
Quid iuuat differre, electa,
Que sunt tamen post facienda?
Fac cita quod eris factura,
In me non est aliqua mora.

EPISTOLA
LITTERARUM STUDIOSI PARISIENSIS.

Riuulus hoc fonti delegat, uirgula trunco;
Mater, filius hoc tibi mittit aue.
Que non compatitur, que non succurrit egenti
Nato, presumit degenerare parens.
Me tua Parisios pietas legauit ut eam,
Ingenium studii fructificaret ope.
Pollicitum geminare soles, mihi plurima spondes
Munera: pollicitum fallit auara manus.
Indigeo, me pauperies premit anxia, nummi
Desunt, esuriens ere crumena uacat.
Heu careo libris quia sumptus prodiga nostrum
Hausit marsupium parisiensis humus.
Pauperies studio comes aduersatur, egere
Compellor, precium nuda crumena premit
Plurima constringunt me debita, cuncta tenentur
Pignora; sic careo uestibus, ere, libris.
Pauperies studium cogit languescere, nutat
Propositum, cessant carmina, pendet opus.
Cogit pauperies me mendicare, coactus
Discedo studiis, cogit amara fames.
Hinc studium placet, inde lucrum; penuria uictus
Heu studium nostrum fructificare negat.

---

2. *A metrica correctione me abstineo, quia plura tentari possunt.*

Me circumueniunt quam plurima debita, perstat
    Creditor, exigitur fenus, amicus abest.
Degenerat maternus amor, materna laborat
    Gratia, materne nil pietatis habens.
Heu tepet in sobolem pietas materna, prioris
    Denigrant fame ultima facta decus.
Heu pietas materna iacet, descire laboras
    Matrem, materni fructus amoris obit.
Depereat male firmus amor, qui nutrit amicos
    Presens, absentis gratia fracta perit.
Cur periit materna fides? cur languet amoris
    Legitimi genio degenerante status?
Me colit integritas fame, non scorta frequento,
    Non talos didicit concelebrare manus.
Sopite pereat ire tumor, indue matrem,
    Esse stude mater, esse nouerca nega.
Subsidium presta, redimas uadimonia mater,
    Me refoue, tristem letificare stude.
Sum quasi truncus egens, libris uacuata crumena
    Propositum reprimit anxietate famis.
Offendit studium penuria seua, scolares
    Pauperies reprimit perniciosa comes.
Doctores inhiant manibus, collecta magistri
    Exigit. heu quid agam? creditor omnis abest.
Nec quod habet celum stellas, quod harena lapillos,
    Nec mala quod pacior dinumerare queo.
Ergo stude matrem redolere. Uocabula matris
    Degenerant que non testificatur opus.

Versu 47 *utrobique* quot *scribendum esse vix dignum commemoratione.*

